

haec verbis et opere iam conversa erat ad veri Dei cultum. Verbis quidem; nam ad duos illos exploratores hebraeos (1) dixit: *Dominus enim Deus vester, ipse est Deus in coelo sursum, et in terra deorsum.* Opere quoque, quia: ut s. Paulus (2) scribit: *Fide Rahab meretrix non perit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace;* similiter Booz sibi copulavit Ruth moabitidem, quia haec quoque conversa erat ad hebraeam religionem, inquam socrui suae Noëmi (3): *Populus tuus populus meus, Deus tuus Deus meus.* De filia quoque regis Gessur, quam David in uxorem assumpsit, tradunt hebraei apud s. Hieronymum in tradit., quod facta sit proselyta, et ad iudaismum se converterit (4). Sic etiam connubium Samsonis cum philisthaea iuxta communioem sententiam a peccato excusatur, vel quia Samson nolebat uxorem illam ducere, nisi fieret proselyta, iudaicis sacris susceptis; vel quia has nuptias cum philisthaea, in infidelitate permanente, iniit peculiari Dei instinctu et dispensatione, qui et periculum perversionis ad idololatriam avertebat, et ingens inde bonum (nempe liberationem populi israelitici de manu philistinorum) eliciebat: quae explicatio fundatur in ipsa Scriptura (5), ubi dicitur: *Parentes autem eius nesciebant, quod res a Domino feret, et quaereret occasionem contra Philisthim.*

II. Itaque 2 ratio licite nubendi alienigenae apud hebraeos fuit specialis instinctus et dispensatio divina, qualis iuxta dicta dabatur re-

(1) Iosue c. 2, v. 11.

(2) Ad hebr. c. 11, v. 31.

(3) Ruth c. 1, v. 16.

(4) Vide Cornelium a Lap. comment. in II. Reg. c. 5, v. 5.

(5) Iudic. 14, v. 4.

(6) Ruth c. 1, v. 16.

spectu Samsonis ducentis philisthaeam, et Estheris matrimonium cum rege Assuero ineuntis.

III. Etiam si pars alienigena non fuerit conversa ad veram religionem, tamen licebat cum illa inire matrimonium in casu raro contingente, si scilicet nullum fuit morale periculum seductionis, maxime si adhuc alia gravis ratio accessit tale connubium ineundi. Sic supra memorati duo filii Noëmi licite acceperunt duas uxores moabitidas Orpham et Ruth, quarum ultima tam parum erat infesta religioni iudaicae, ut eam postea defuncto suo marito omnino professa sit (6); Orpha vero, quamvis idolorum cultum nunquam deseruerit, tamen tam bonam et docilem indolem habuit, ut marito suo pariter mortuo exulare a patria, et cum sene ac paupere socru sua Noëmi in Bethleem migrare voluerit, et migrasset, nisi ab hac ad remanendum fuisset persuasa (7). Itaque duo illi Noëmi filii licite poterant has moabitidas ducere, praesertim in regione, in qua nullam hebraeam poterant nancisci (8).

Dixi autem supra: in casu raro contingente licitum fuisse etc. Ordinarie enim, et generatim loquendo de hebraeorum populo in idololatriam tantopere propenso proximum erat seductionis periculum (paucis exceptis, si communiter licuisset inire matrimonium cum alienigenis, ut constat ex scelerato consilio, quod Balaam dedit regi Balac, atque ex infelici effectu illius (9)). Unde lex (10) generaliter

(7) Ibidem v. 14.

(8) Vide part. 2 Script. sacr. contra incredulos propugn. sect. 5, num. 46, p. 101.

(9) Num. 24, v. 14, etc.; et c. 25, v. 5 et 9.

(10) III. Reg. c. 14, v. 2.

prohibebat illa connubia, cum hac emphasi: *Certissime enim avertent corda vestra.*

78. QUÆRES VII. *An non saltem peccaverit Esther comedendo cibos lege Moysis sibi prohibitos, dum ei iuxta mandatum regis Assueri (Esther 2, v. 9) dabantur PARTES SUAE h. e. de mensa, statutaque cibi et epularum portio, quae de mensa regia ei praebebantur?* R. Quamvis Ioannes Clericus etiam de comestis cibis lege vetitis Estherem accuset, nullum tamen dubium est, religiosissimam hanc foeminam abstinuisse ab illis cibis, uti ab idolothytis se abstinuisse ipsametprofitetur, Deum orans (1) his verbis: *Tu scis necessitatem meam.... quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, et non biberim vinum libaminum, scilicet idolis oblatum et praelibatum.*

Si autem petas quomodo fieri poterit, ut ista ciborum abstinencia non notaretur, nec tali modo Esther populum patriamque suam manifestaret; id quod ab initio (2) noluit? R. Facile erat delicatae virgini, et aestimatissimae regi Assuero ac postea reginae, praetexere, se non oblectari his vel illis ferulis, et in tanto ciborum delectu nunquam deerat, quo liceret vesci. Ceterum etiam si forte nos lateat modus et via, qua Esther hac in re violationem legis declinavit, duo tamen certissima nobis esse debent: *Unum*, non violasse Estherem legem a Deo per Moysen datam; *alterum*, sicut ad malum ingeniosa est hominum perversitas, ita etiam ad bonum virtus.

79. QUÆRES VIII. *An non sit contradictio, dum in capitibus poste-*

(1) Esther, c. 14, v. 16 et 17.

(2) Esther, c. 2, v. 10 et 20.

(3) Vide supra n. 50, q. 6.

(4) Esther, c. 2, v. 10 et 20.

*rioribus libri Esther cap. 12, v. 2, et alibi maritus Estheris appellatur ARTAXERXES, in capitibus vero prioribus (cap. 2, v. 16, et alibi saepius) vocatur ASSUERUS?* R. Nulla est contradictio. Nam nemo veterum linguarum et historiarum peritus ignorat, voces Assuerus et Artaxerxes unius eiusdemque principis cognomina, seu dignitatis titulos esse posse. Certe Herodotus iam monuit, *Artaxerxes* significare *magnum bellatorem*: similiter autem etiam Assuerus iuxta dialectum linguae turcicae et tartaricae, quae probabiliter medorum veterum propria fuit, significat *magnum caput*, seu principem ducum hellicorum. Recole, quae hac de re iam alibi (3) diximus.

80. QUÆRES IX. *Quomodo EDISSA, seu ESTHER dici possit (Esther 2, v. 7) filia fratris MARDOCHAEI; cum tamen Herodotus (lib. 7) ESTHEREM, quam ARTYSTONAM appellat, dicat, fuisse filiam regis CYRI?* R. Herodotus in hoc erravit, quod Esther regiam Cyri stirpem affinxerit, forte deceptus ab aliis, qui ex adulatione Estheris genus extollere conabantur; excusandus tamen eo facilius quo occultius Esther ipsa suos diu progenitores (4) occultavit. Tiranus (5) vero, et Cornelius a Lap. (6) suspicantur, causam huius erroris fuisse sequentem: cum constaret, Estherem oriundam esse ex tribu Benjamin, et a stirpe regia Saulis, adeoque simul esse filiam, seu ex posteris Cis (7): inde factum est, ut Herodotus Estherem, quam debuisset dicere *filiam Cis*, appellavit *filiam Cyri*, quia nimirum ipse non norat Cis, sed Cyrum, putabatque Esther esse persianam, non iudaeam.

(5) Comment. in Esther, c. 2, v. 7.

(6) Ibid. v. 5.

(7) Cis enim erat pater Saulis I. Reg. c. 9, v. 1 et 2.



81. SCHOLION. Nomen *Esther* persicam habet originem, et apud persas idem significat, ac *ἑσθη* apud graecos, et *stella* apud latinos. Recte autem nomen astri reginae huic inditum est, utpote quae in densissimis nebulis gentilitatis et extremae iudaicae calamitatis tenebris tanquam fulgentissimum sidus apparuit. Alio quoque nomine forte a parentibus indito *Edissa*, ut supra vidimus, appellatam (1) invenimus, hebraice et chaldaice *Hadassa*, id est, *myrtus*, vel *myrtea* ob eximiam pulcritudinem, probitatem, et venustatem tum corporis, tum morum. Porro *Hadassa* seu *Edissa* videtur esse illa *Artystona*, de qua *Herodotus* (2) meminit. Certe *Estheris* nomen ab hoc altero nomine non admodum differt, praesertim si paululum immutetur, et loco *Artystona* legamus *Astirtona*.

Denique multi putant, *Estherem* adhuc alio nomine vocatam esse *Atossam*. Opinantur enim, *Atossam* uxorem Darii *Hystaspis* eandem esse cum *Hadossa* vel *Hadassa*, quae est *Esther*. Verum *Herodotus* (3) *Atossam* distinguit ab *Artystona*, quae est *Esther*, dum ait: *Darius* (*Hystaspis*) *matrimonia expersis auspiciatus est, ductis duabus Cyri filibus, Atossa, quae Cambysi fratri et rursus mago nupserat, et ARTYSTONA virgine.*

82. QUÆRES X. *An non sit contradictio, dum* (Esther 2, v. 16 et 21) *dicitur conspirationem eunuchorum BAGATHA et THARA contra regem ASSUERUM detectam esse anno septimo regni eius; cum tamen* (ex Esther cap. 11, v. 2, et cap. 12, v. 1) *manifestum videatur quod haec conspiratio anno regni eius 2 detecta fuerit?* R. Nulla hic est contradictio. Nam detectio insidiarum,

(1) Esther, c. 2, v. 7.

(2) L. 7. (3) L. 5.

quas duo illi eunuchi *Assuero* suaxerunt, utique incidit in annum septimum huius regis; somnium vero *Mardochoaei*, quod capite undecimo exponitur, contigit anno 2 *Assueri*, prout ex huius capitis versu 2 patet. Ad hunc vero annum 2 non est referenda detectio insidiarum initio sequentis capitis duodecimi v. 2 posita. Quamvis enim caput duodecimum incipiat his verbis: « *Morbatur autem* (*Mardochoeus*) *eo tempore in aula regis cum Bagatha et Thara eunuchis... cumque intellexisset* (eorum insidias), *nunciavit... regi:* » tamen haec verba *eo tempore* non significant annum 2 regni *Assueri*, quo somnium *Mardochoaei* praecedente capite undecimo expositum contigit, sed indicat indeterminatum tempus, vel illud cap. 2, v. 16 expressum, scilicet annum septimum regni *Assueri*. Ratio hoc dicendi est, quia in versione graeca non sunt haec verba *eo tempore*, sed caput duodecimum simpliciter ita incipit: *Καὶ ἠκούσθη Μαρδοχαίου ἐν τῇ αὐλῇ μετὰ Βάβαθα καὶ Θάρρα τῶν δύο εὐνούχων.*

*Et quievit Mardochoeus in aula cum Gabatha et Tarra duobus eunuchis etc.* Sunt igitur verba illa *eo tempore* in versione latina tantum transitio interpretis, non connectens rei gestae; non connectens novum caput cum versu 2 capitis undecimi praecedentis, sed ut dixi indicans annum septimum regni *Assueri*, vel tempus indeterminatum, sicut multoties in s. Scriptura dicitur *in illo tempore, in diebus illis etc.*: quibus loquendi formulis s. Scriptura utitur, etiam cum illa narrat, quae post multorum annorum spatia contingunt, prout pridem observavit s. *Chrysostomus* (4) dicens: « *Mos est Scripturarum et utique celeberrimus, hoc uti locu-*

(4) Homil. 10 in Matthaeum.

tionis modo, non solum, cum ad praeteritam narrationem aliud continuo tempus adiungitur; verum etiam cum illa narrat, quae post multorum annorum spatia contingunt. »

83. QUÆRES XI. *Quomodo haec duo concilientur, dum* (Esther 3, v. 1) *Aman dicitur de stirpe Agag, adeoque* (iuxta I. Reg. 15, v. 8) *amalecites: e contrario* (Esther 16, v. 10 et 14) *dicitur fuisse macedo?* R. Duplex praecipue diversorum auctorum circa hanc rem est sententia. Primam tenent *Iosephus* uterque, *Flavius* et *Gorion*, hebraei omnes, *Targum* utrumque, *Rupertus*, *Lyran.*, *Caietanus*, qui tradunt, *Amanem* fuisse de stirpe *Agag*, regis amalecitarum a *Samuele* confossi. De quodam enim huius regis filiorum aut nepotum ex strage amalecitarum profugorum, et in *Macedoniam* profugientium, huius *Amanis* postmodum vel patrem vel avum fuisse autumant: quo casu posito, utrumque verum est, scilicet *Amanem* fuisse de stirpe *Agag*, et *macedonem*.

Verum, cum (I. Reg. 15, v. 33) legamus, *Samuelem* regi *Agag* imprecatum esse, ut sicut ipsius gladius fecit mulieres absque liberis, sic absque liberis sit inter mulieres ipsius mater, verisimilius est, omnem huius *Agagi* familiam pridem extinctam fuisse, et *Amanem Assueri* ministrum, quem nullibi Scriptura amalecitam vocat, ab alio *Agag*, gente macedone ortum esse: quae est altera sententia.

84. DICES: Rex *Assuerus* (Esther 16, v. 14) dicit: quod *Aman* regnum persarum voluerit transferre in macedones: sed hoc non est credibile; nam macedones, quorum regnum usque ad *Alexandrum M.* ob-

(1) Vide *Cornel. a Lap.* praefat. in lib. Esther.

(2) L. 7. (3) L. 11.

scurissimum fuit, illo tempore non fuissent ausi invadere persas. R. Per macedones hic intelligi omnes graecos, quia inter eos eminebant macedones, ex quorum gente erat *Aman*: ii ergo prae caeteris omnibus graecis hic nominantur. Porro graecos sub *Dario Hystaspe*, qui probabiliter vel probabilius (1) est iste *Assuerus* in libro *Estheris*, fuisse persis metuendos et de his male meritos, docet *Herodotus* (2), et *Diodorus Siculus* (3): atque inde patet, quia idem *Darius* quarto ante mortem suam anno cum graecis dimicavit apud *Marathonem*, celeberrimo in graecis romanisque historiis praelio, uti notavit quoque *Severus Sulpitius* (4).

Consentit, teste *Cornelio a Lap.* (5), *Iosippus Gorionides*, qui et addit, duos illos eunuchos contra *Assuerum* coniurantes, destinasse caput *Assueri* deferre ad regem graecorum ut ei gratificarentur: eunuchos autem hos fuisse propinquos *Aman*. Potuit igitur rex *Assuerus* merito timere, ne *Aman*, cum esset gente macedo, illorumque eunuchorum propinquus, regnumque persarum affectaret, ne, inquam, velit illud in *macedones* transferre, sicque gentem suam tunc adhuc obscuram, illustrem reddere, translato ad se suosque nobilissimo persico imperio, uti postea transtulit *Alexander M.*

SCHOLION. *Aman*, de quo loquimur, etiam in Scriptura (6) *Bugaeus* vocatur hoc modo: *Aman-Bugaeus erat gloriosissimus*. Quae vox vel a graeco *βου* *multum*, et *γαιο* *gloriosior*, quasi *gloriabundus thraso*, vel a voce persica *Bagau*, quae *eunuchum* sonat, probabiliter derivatur. Alii aliam huius vocis originem as-

(4) L. 2.

(5) Comment. in Esther c. 16, v. 14.

(6) Esther c. 12, v. 6.



signant, ut passim apud interpretes videre est.

85. QUARES XII. *Quomodo concordent haec duo dum* (Esth. c. 3) dicitur, *Amanum quaesivisse malefacere Mardochoaeo et israelitis, quia Mardochoaeus recusavit* GENU FLECTERE *Amano; sed* (Esther cap. 12, v. 6) *legitur, quod Aman voluerit nocere Mardochoaeo, et populo eius, propter interfectos duos eunuchos regis?* R. Nihil repugnat, plures fuisse causas ob quas Aman odium in Mardochoaeum et iudaeos conceperit. Aegre tulit ob causas sibi peculiariter notas (1), eunuchos per Mardochoaeum (2) in exitium ruisse; aegre pariter denegatam sibi genuflexionem: nihil hic alienum a characterem Amanis hominis callidi, perfricti, et ambitiosi.

86. QUARES XIII. *Quomodo concilientur haec duo, dum* (Esther 6, v. 3) *Mardochoaeus nil mercedis ob detectam duorum eunuchorum conspirationem recepisse scribitur; contra* (Esther 12, v. 5) *dicitur Assuerum dedisse Mardochoaeo munera ob delationem illam?* R. Data quidem sunt Mardochoaeo (ut Esth. c. 12 narratur) ob delationem eunuchorum aliqua respective exigua munera; praesertim quod nomen eius et factum in annalibus regni notarentur, quodque iussus sit in aula palatii morari (3), et forte amplioris praemii promissio eidem adiecta. Verum cum ista nec meritis Mardochoaei nec regis persona sat digna sint visa ministris regis, nihilque honoris aut gloriae publicae (de quo rex c. 6 interrogasse censendus est) Mardochoaeo tributum fuerit, abrupte responderunt faventes Mardochoaeo ministri: *nihil omnino mercedis accepit; puta, nul-*

(1) Vide praeced. num. 84.

(2) Esther, c. 2, v. 21, 22 et 23. Item cap. 12, v. 1-4.

lam mercedem honoris publici et iusti praemii, quod sit dignum eiusdem meritis, et regis remunerantis liberalitate ac magnificentia. Ita Steyartius cum aliis.

87. QUARES XIV. *Quomodo* (Esther 6, v. 4) *dici possit, quod Aman interius atrium domus regiae intraverit; cum tamen* (ex cap. 4, v. 11) *constet, nemini prius non vocato, interius atrium regis intrare licuisse; nullibi autem Aman tunc vocatus esse legatur?* R. Per atrium interius (Esther 6, v. 4 non intelligitur interius absolute, seu atrium intimum Assueri, quod nemini nisi vocato intrare licuit, sed solum intelligitur interius respective ad alia atria exteriora. Itaque notandum est, quod atrium intimum, sive interius absolute fuerit illud, ubi rex erat in solio, et istud non licebat ingredi sine vitae periculo; ideo rex torvis oculis aspiciebat Estherem, quia putabat, eam non vocatam velle ingredi basilicam regis (4), i. e. intimum conclave regium; sed Aman non erat in hoc interiori atrio, sed extra hoc. Unde textus hebraicus citato Esther cap. 6, v. 4 non habet atrium interius, sed *החיצונה achizona*, i. e. *exterius*. Sic etiam hoc loco paraphrasis chaldaica ait: *Aman autem intrabat in atrium regiae exterius*. Et ipse rex cit. c. 6, v. 5, postquam intellexit, Amanem stare in atrio, dixit: *ingrediatur*: ergo Aman nondum erat in interiore atrio absolute tali, seu in intimo. Erat tamen atrium, quod Aman iam intraverat, interius respective ad atrium exterius famulorum, vigiliarum, etc., ideoque vulgata habet: *Aman — interius atrium* (i. e. respective duntaxat interius) *domus regiae intraverat*.

(5) Esther c. 6, v. 2; et c. 12, v. 3.

(4) Esther c. 13, v. 10.

88. QUARES XV. *An vindicta a iudaeis de suis hostibus sumpta, horumque interfectio* (Esther cap. 9) *fuerit licita, vel potius contra legem de non vindicandis inimicis?* R. Fuit licita; quia sumpta est auctoritate publica regis, ut patet ex Esther cap. 8, v. 12, ubi narratur, quod « Rex imperaverit iudaeos per singulas civitates congregari, ut starent pro animabus suis (i. e. se defenderent; et omnes inimicos suos, cum coniugibus ac liberis et universis domibus interficerent. » Et sequenti v. 13 additur: « Et constituta est per omnes provincias ultionis dies, id est, tertia decima mensis duodecimi adar. » Cap. 16 vero extat exemplar epistolae Assueri pro iudaeorum salute cum inimicorum suorum interemptione, ad singulas regni provincias missae. Porro Christus duntaxat prohibuit privatas iniurias privata auctoritate ulcisci, non vero vetuit, illas publica auctoritate punire. Fuit autem haec interemptio hostium iudaici populi iusta defensio iussu ipsius regis peracta, quia iudaei de vita sua securi esse non poterant, nisi illis occisis. Et hoc est, quod tum cap. 8, v. 12, *ut starent pro animabus suis*, tum cap. 9, v. 16 dicitur: *pro animabus suis steterunt iudaei, interfectis hostibus ac persecutoribus suis*. Nisi enim hi interfecti fuissent, timendum erat, ne rursus iudaeos invaderent, imo contra regem rebellarent. Porro, quemadmodum Cornelius a Lap. (1) observat, iussit Mardochoaeus iudaeis, ut diligenter inquirerent et annotarent, qui revera essent iudaeorum hostes, ne quis amicus vel innoxius inter hostes et noxios occideretur, ideoque per novem menses caedem

(1) Comment. in Esther c. 9, v. 16.

(2) Esther c. 8, v. 9 et 12.

(3) Esther c. 9, v. 10 et 16.

differri iussit, scilicet a mense tertio usque ad mensem duodecimum (2). Denique illud quoque observatione dignum, quod iudaei, cum hostes suos occidissent, nihil de horum bonis seu facultatibus diripere voluerint, ut Scriptura (3) testatur, etsi rex id eis concessisset (4), ut nimirum ostenderent, se non aliud quam vitae suae incolumitatem quaerere: hanc enim, ut dixi, perdere volebant ii, qui occidebantur. Utinam iudaeos illos hac in re imitentur christiani milites, qui non tantum inimicos sed etiam amicos saepe spoliant, aut omnino spe praedae interdum mactant!

89. QUARES XVI. *Quomodo* (Esther 11, v. 1) *dici possit: ANNO QUARTO, REGNANTIBUS PTOLEMAEO ET CLEOPATRA, ATTULERUNT... HANC EPISTOLAM PHURIM; QUAM DIXERUNT INTERPRETATUM ESSE LYSIMACHUM, etc.; cum tamen haec epistola iam diu ante regnantem Ptolemaeum et Cleopatram ad omnes iudaeos* (Esther cap. 9, v. 30) *missa fuerit? Occasionem huic quaestioni discutendae dedit Pfaffius contendens, esse evidenter falsum et confictum, hanc epistolam sub regimine Ptolemaei et Cleopatrae allatam esse, cum ea iam diu ante ad omnes iudaeos missa fuerit. Verum* R. Dist.; epistola hebraica iam diu ante ad omnes iudaeos missa fuit, conc.: graece versa et ad Ptolemaeum missa, neg. Hic sermo est de versione Lysimachi graeca ad regem Aegypti missa anno 4 regni Ptolemaei et Cleopatrae. Plura de hoc videre poteris apud cl. Widenhofer (5).

90. QUARES XVII. *Quomodo Mardochoaeus anno 2 regni Assueri* (Esther 11, v. 2 et 3) *fuerit vir magnus et inter primos aulae regiae: cum tamen* (iuxta Esther 6, v. 10) *non*

(4) Esther c. 8, v. 11.

(5) Comment. in Esther c. 11, v. 1.



nisi Amane pereunte exaltatus fuerit? R. Mardocheus loc. cit. dicitur Magnus per prolepsin seu anticipationem in sacra Scriptura usitatam (1), quia talis postea fuerat. Imo sine prolepsi affirmari potest, quod Mardocheus iam ante Amanis fatum fuerit magnus; quia iam ante ad regis ianuam morabatur, iuxta illud (2): manebat ad ianuam regis; et iterum (3): ad regis ianuam morabatur; quae phrasin apud orientales recepta significat conspicuam aliquam in aula regia dignitatem, sicut illud de Daniele dictum: Erat in foribus regis (4).

91. QUAERES XVIII. Quomodo (Esther 12, v. 2) dici possit, quod Mardocheus NUNCIAUERIT SUPER EO negotio detectionis insidiarum REGI; cum tamen (Esther 2, v. 22) id non regi, sed REGINAE ESTHER nunciaverit? R. Mardocheus per hanc nunciavit regi, ut cit. c. 2, v. 22 clare dicitur his verbis: Quod (scilicet insidiae eunuchorum) Mardocheum non latuit, statimque nunciavit reginae Esther, et illa regi, EX NOMINE MARDOCHEAEI, qui ad se rem detulerat. Quod enim per alium quis facit, in aestimatione morali per seipsum fecisse censendus est.

92. QUAERES XIX. Quomodo concordet (Esther caput 13, v. 6), ubi pro exterminio iudaeorum in epistola Amanis assignatur dies 14 mensis adar, cum (capite 3, v. 12; cap. 8, v. 12 et cap. 9, v. 1), ubi pro hoc exterminio constanter assignatur dies 13 dicti mensis? R. Capitibus praecedentibus (nempe c. 3, 8 et 9) sermo est de initio laniationis, quae die decima tertia dicti mensis coepit: sed cap. 13, v.

(1) Vide Salmeron proleg. 12, canon. 13 prope finem. (2) Esther c. 2, v. 19.

(5) Ibid. v. 21. (4) Daniel c. 2, v. 49.

(3) Textus receptus legit τῆς Σεραπίδος, quae vox ministerium, famulitium et etiam cultum significat, indeque Vulgatus sive

6 sermo est de eius fine, ut sensus sit: Deleantur usque ad quartam decimam diem. Colligitur id ex petitione Estheris, quae cap. 9, v. 13 et seq. in poenam talionis postulavit, ut ultio iudaeorum de suis hostibus pariter duraret usque ad 14 diem dicti mensis. Nam legimus c. 9, v. 17: Dies tertius decimus mensis adar primus apud omnes interfektionis (hostium iudaici populi) fuit, et quarta decima die caedere desierunt.

93. QUAERES XX. An non sit contradictio, dum (Esther 15, v. 1) de Esthere dicitur: DIE AUTEM TERTIO DEPOSUIT VESTIMENTA ORNATUS SUI, ET CIRCUMDATA EST GLORIA SUA. Nam quomodo circumdata est gloria, si ornamenta vestium deposuit? Dein (iuxta cap. 14, v. 2) Esther per triduum orationis LUCTUI APTA INDUMENTA SUSCEPIT: ergo et illa die tertio deposuit, non vero VESTIMENTA ORNATUS. Quomodo haec combinantur? R. Facile combinantur. Nam die tertio Esther deposuit vestimenta ornatus lugubris, h. e. ornatus modesti et moesti, quo ad luctum et poenitentiam induta et ornata erat, et circumdata est gloria sua, i. e. gloriosa corona regia, ceterisque vestibus aureis et gemmeis, utpote regalibus. Nam ornatus vox generica est, conveniens tam lugubri, quam splendido. Hic autem satis determinatur ad lugubrem ornatum ex c. 14, v. 2 et ex contrapositione cum vestibus gloriae c. 15, v. 4 deposuit vestimenta ornatus sui et circumdata est gloria sua, ac denique ex textu graeco, qui hoc loco habet: Ἐξέδυσται τὰ ἱμάτια τοῦ πένθους: deposuit vestimenta luctus (5).

94. QUAERES XXI. Quomodo illud ornatum sive oratum vertit (V. Sabatier, Vetus Italica, in h. l., Frassen, Disquisit. Bibl., de lat. ed. Vulgatae, § vi), scilicet vestimenta humilia et lugubria, qualia lugentem et orantem, ac supplicem decuerant (Nota edit.).

(Esther 15, v. 9 et 10): INGRESSA ESTHER STETIT ANTE REGEM... QUI ERAT TERRIBILIS ASPECTU... CUMQUE ARDENTIBUS OCULIS FUREM PECTORIS INDICASSET, REGINA CORRUIT, concordet cum altero textu (Esther 5, v. 2) ubi dicitur: CUM REX VIDISSET ESTHER REGINAM STANTEM, PLACUIT OCULIS EIUS? R. Rex initio conspiciens Estherem, fuit terribilis aspectu, quia facile fuit ad iram mobilis, ut patet ex cap. 1, v. 12, ideoque Esther illum vocat cap. 14, v. 13 leonem; at postquam vidit consternatam reginam, convertit Deus cap. 15, v. 11, spiritum regis in mansuetudinem, ut placeret oculis eius, ut legimus c. 5, v. 2. Nempe caput quintum recitat historiam per compendium; at caput decimum quintum recitat rem fusions, enarrans iram regis, consternationem reginae, dein blandimenta regis.

95. QUAERES XXII. Quomodo (Estheris cap. 16, v. 18) ubi dicitur quod iam ante edictum promulgatum de interficiendis iudaeorum hostibus Aman cum omni sua cognitione poenas dederit, concilietur (cum capite 9, v. 14) ubi legitur, quod decem filii Aman primum suspensi fuerint post 9 menses ab illo edicto? Cum Serario et aliis: cap. 16 loquitur de cognatis, qui cum Amane conspirarunt contra Mardocheum: filii autem Aman servati in carcere, non nisi 13 die mensis Adar occisi sunt, ut dicitur cap. 9, v. 14.

96. QUAERES XXIII. An literae Artaxerxis seu Assueri (Esther cap. 16), recitatae, quibus revocantur priores literae (cap. 8, v. 11 et seq.) ad excidium iudaeorum datae sint authenticae, quia et argumento plurimum discrepant ab illis prioribus literis et forma a rescriptis regum medorum et persarum dissident,

quae rescripta nunquam mutari licuisse, ex Esther 1, v. 19, Daniel 6, v. 8 etc., constat? R. Nulla est dissensio inter summarium epistolae et ipsam epistolam: summarium sive primarium epistolae caput habes cap. 8; epistolam vero cap. 16, ubi rex occurrit criminationi, quasi revocando priorem suam epistolam contra regum medorum et persarum legem ageret, dicens v. 9: « nec putare debetis, si diversa iubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate et necessitate temporum, ut reipublicae poscit utilitas, ferre sententiam. » Vult nimirum rex dicere: « Nec putare debetis si diversa iubeamus (revocando Amanis decretum de iudaeis occidendis) ex animi nostri venire levitate, » ut legem persarum, quae iubet decreta regum esse irrevocabilia, violemus et abrogemus; nam haec lex solum iubet irrevocabilia esse decreta, quae subreptitia non sunt, vel fraude extorta, sed sano sinceroque consilio constituta. Iam vero decretum prius de excidendis iudaeis non fuit nostrum, sed Amanis, qui illud a nobis per fraudem et mendacium extorsit, ideoque subreptitium, iniustum et impium, ac proinde cognita iam veritate, a nobis hoc novo edicto revocandum et corrigendum.

97. QUAERES XXIV. Quomodo (Esther 16, v. 13) dici possit ab Amano expetitam fuisse reginam Esther cum tota illius gente ad interitum; cum tamen (Esther 2, v. 10 et 20) s. Scriptura referat, ignotum fuisse aulae regiae, atque adeo ipsi etiam regi, et Amano Estheris et Mardochei genus, donec regina die, quo Aman suspensus est, regi id (Esther 7, 3 et 4) declaravit? R. Etiam si Aman nondum distincte sciverit, reginam Esther esse iudaeam, tamen reipsa eam cum



tota illius gente ad interitum expetivit, utpote implicite contentam in universali edicto, quod adversus universam iudaeorum nationem obtinuerat. Hinc rex *Assuerus* (1) *domum Aman* h. e. huius bona reginae *Esther* merito dedit. Nam haec bona ob scelus ab *Amane*

commissum publicata, regis arbitrio cedebant, eademque, cuicumque vellet poterat elargiri: at nemo potiori iure iniquissimi illius viri exuviis frui merebatur, quam ii, quos improbitate sua in discrimen adduxerat (2)

### SECTIO IV.

#### DE LIBRO IOB

Hic liber in eo potissimum argumento versatur, an Deus solum in impios hac in vita afflictionibus animadvertat, quemadmodum *Iobi* amici arbitrabantur: an vero pios quoque, ac iustos adversis probet, ut ipse *Iob* propria experientia edoctus contendebat. Ceterum, quisnam hunc librum conscripserit, non certo constat. Aliqui ipsum *Iob* eius auctorem faciunt, alii alium quem amicorum eius, alii *Moysen*, aut prophetam alium. Verisimilior est opinio *Origenis* et aliorum putantium, ab ipso *Iob* res, quae sibi contigerant, notatas aut conscriptas fuisse lingua patria, i. e. syriaca (3) seu arabica, vel idumaea; postea vero a *Moyses* ad solatium israelitarum in linguam hebraicam, retentis non paucis arabismis et syrisms, translatas, cum inter madianitas gentem in Arabia, syrorum et idumaeorum vicinam degeret (4). Porro non est mirandum, quod

(1) *Esther* c. 8, v. 1.

(2) *Esther* c. 5 et c. 18.

(3) *Sanctius* proleg. 8, in lib. *Iob* recte observat, quod, quando s. *Hieronymus* praefatione priori in lib. *Iob*, de sua huius libri translatione sic loquitur: « Haece autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso hebraico, arabicoque sermone, et interdum syro, aunc verba, nunc sensus, nunc utrumque resonabit: » per syrum sermonem non intelligat illum, qui ex hebraico, chaldaicoque conflatus est idiomate, qualem

*Moyses* dictae translationi arabismos et syrisms inspersionem. Cum enim diu, non minus annis quadraginta inter arabes seu madianitas, qui aut iidem sunt, aut certe non admodum diversi, commoratus fuerit, auresque audiendis arabicis sermonibus assuetas haberet, nihil mirum, si hebraicum sermonem, quem hebraeus ipse ab hebraeis didicerat, arabismis et syrisms inquinaverit: quam tamen linguae hebraicae corruptionem *Moyses* postea ad hebraeos reversus et subin scribendo Pentateucho intentus ad hebraici sermonis munditiam emendavit (5). Dixi autem, *Moysen* ad solatium israelitarum librum *Iob* ex arabico etc. sermone transtulisse in hebraicum; cum enim israelitae ab aegyptiis gravi servitutis iugo tunc premerentur, *Moyses*, ut afflictis vivum patientiae exemplum daret, vertit, ut diximus, librum *Iob*, in quo continuum afflictionum et tolerantiae

post solutam captivitatem babyloniam habuerunt hebraei. Neque enim illum agnovit *Moyses*, a quo memorata translatio huius libri facta est, quamque s. *Hieronymus* multa post secula fecit latinam; sed intelligitur sermo seu lingua, quae Syriae propria erat, israeliticis finibus vicinae. De quo pluribus *Origenes* in principio commentariorum libri *Iob*.

(4) *Exod.* c. 2, v. 15, et seq.

(5) Vide *Hermann. Goldhagen* introduct. in s. *Scriptur. vet. Test. part. 2.* pag. 211, n. 119.

certamen graphice depingitur. Ex his tria colliges. I. *Iobum* aetate praecessisse *Moysen*, aut certe eisdem fuisse synchronum seu coaevum; nec improbabilem esse opinionem eorum, qui asserunt, *Iobum* eundem esse cum *Iobab*, cuius mentio in libro *Genesis* (1) fit. II. Hebraeos, licet *Iob* non fuerit ex filiis *Israël*, sed idumaeus, vel arabs, qui ab hebraeis pro hostibus habebantur, tamen admisisse librum *Iob* in canonem suum non quidem ut scriptum arabice a *Iobo*, sed ut translatum in hebraicum sermonem a *Moyses*. III. Ex incertitudine, quisnam fuerit auctor libri *Iob*, non posse peti argumentum contra authenticam et divinitatem huius libri, cum divinae alicuius libri auctoritati nihil decedat, quatumvis eius scriptor ignoretur.

Denique si quaeras, quid nomen *Iob* significet, et unde is stirpem suam duxerit, aut ubi terrarum habitaverit? *Iob* Graece sanctus iste vir ordinarie יֹבִיב *Iob* appellatur, hebraice autem יֹבִיב *Iob*, et יֹבֵב *Iobab* a יֹבֵב *Iabab* dicitur; et notio huius nominis *Iob* iuxta plerosque patres quasi idem est, ac *dolens* et *gemens*; *Riberae* vero et aliis recentioribus placet vocis etymon deducere ab יֹבֵב *inimicitias egit*; voluntque designari *virum ab inimicis vehementer agitatam*, vel *osorem impiorum*, vel *virum zelotem*. Quod autem *Iobi* stirpem et patriam attinet, is natus est in terra *Hus* inter *Idumeam* et *Arabiam* sita: unde vero genus suum duxerit, controversum est inter patres. Aliqui autumant, eum natum esse ex posteris *Nachor* fratris *Abraham*: alii verisimilium cen-

sent, *Iobum* fuisse illum *Iobab*, de quo in libro *Genesis* (2) sermo est, quiue erat pronepos *Esavi* ab *Abrahamo* descendens in quinta generatione. Nam *Abraham* genuit *Isaac*: *Isaac* genuit *Esau*: *Esau* genuit *Rahuel*: *Rahuel* genuit *Zara*: *Zara* genuit *Iobab*, sive *Iobum* (3). Vide hac de re *Salmeronem* (4) et *Calmetum* (5). His praenotatis, iam posteriores ac praecipuas de libro *Iob* quaestiones biblicas discutiamus.

98. **QUAERES I.** *An Iob vere extiterit, et res de eo in Scriptura narratae reipsa contigerint, vel tantum sint parabola ad patientiae exemplar conficta?* *Iob* vere extitit, et vera in libro *Iob* narratur historia, quaeque reipsa contigit. Haec assertio nostra est contra talmudistas (6), anabaptistas, *Lutherum* (7), et quosdam etiam recentiores, inter quos est *Ioannes Clericus* (8) item contra quosdam antiquos, de quibus s. *Thomas* (9) testatur his verbis: « Fuerunt autem aliqui, quibus visum est, quod iste *Iob* non fuerit aliquid in rerum natura, sed quod fuerit quaedam parabola conficta, ut esset quoddam thema ad providentiae disputationem, sicut frequenter homines confingunt aliqua facta ad disputandum de eis: et quamvis ad intentionem libri non multum referat, utrum sic vel aliter fuerit, refert tamen quantum ad ipsam veritatem. » Ita doctor angelicus, quocum et cum unanimi catholicorum interpretum asserimus, narrationem de *Iobi* calamitate in sacris litteris consignatam esse veram historiam, et non fictam tragicomoediam ad pro-

(1) *Cap.* 56, v. 51 et 53.

(2) *Ibid.* v. 53.

(3) *Ibid.* v. 40, 43, 47 et 53; item I. *Paral.* c. 4, v. 53, 57 et 44.

(4) *Proleg.* 40, can. 25.

(5) In dictionar. bibl. v. *Iob*.

(6) In *Bava Bathra*.

(7) In *Symposiacis*.

(8) In *Iudic. theol. batav.* p. 274.

(9) *Prolog.* in lib. *Iob*.